

gativas, [altissimas illas ac pretiosissimas] religiose servaverit: videlicet suavitatem, patientiam, pietatem maternam, amplissima acceptione intellectam, qua profecto ad sacrificium sui forte ac nobile usque paretur. Quidquid, igitur, has praerogativas augere natum est, sive studium, sive opera, sive actio quaevis, probandum et excolendum: quidquid hisce contrarium invenitur, abhorrendum prorsus. At vero id fieri nequaquam poterit nisi *sensa revera christiana*, quibus nempe et *mulier timens Dominum ipsa laudabitur*¹, altas in animo radices figerint. Quaestio propterea quae dicitur feminilis, reipsa quaestio religiosa est: nam in sola christiana religione, quae mulieris dignitatem evexit, in qua et Mater Dei et Mater Ecclesia honorantur, huiusmodi quaestio mirum in modum solutionem suam undequaque perfectam accepit, docente quidem Apostolo: *neque vir sine muliere neque mulier sine viro, nam sicut mulier de viro, ita et vir per mulierem, omnia autem ex Deo*².

e) Quapropter, quotquot ex feminis emancipationem hodie sibi vindicant asseruntque, revera, non modo ad impossibile nituntur, sed ad adeo impossibile, ut, si umquam illud fieri posset, in ipsarum perditionem et ruinam, utpote contra naturalem femineam indolem, omnino cederet. Si vero huiusmodi emancipationis nomine, quemdam altioris culturae intellectualis gradum intelligas ad quem feminae contendunt, profecto non modo Ecclesia id non prohibet, sed et impense jamdudum fovit fovetque, dummodo tamen hic ad intellectualem culturam conatus, propriam femineam actuosam missionem haud pessumdet. Heic quoque, enim, S. Bernardi illud recolendum: *tantum lucere vanum, tantum ardere parum; ardere et lucere perfectum*³.

¹ Prov. XXI, 30.

² I Corinth. XI, 11 et 12.

³ Sermo in Nativit. S. Joann. Baptist.

IV.

Quoad temporalem Paroeciae administrationem.

CAP. I.

DE IPSA IN GENERE ET IN SPECIE

Ad temporalis Paroeciae administrationem breviter agendam propositi nostri ratio [quam iam palam professi sumus in huius alterius partis limine ineundo] nos adducit. Ceterum, ne tam practicam ac utilem pastoralis regiminis partem silentio praetereamus, ipsum rei momentum non sinit. Et hoc ipsum momentum paucis inchoaturi proponemus; deinde vero de normis ad rem practicas ac mediis, quanta instituto nostro pastoralique regimini opportuna erunt, tum juxta canones, tum pastorem theologiam juxta, id quod satis indigitabimus.

Articulus I.

DE TEMPORALI PAROECIAE ADMINISTRATIONE IN GENERE.

§ I. — De huius gestionis necessitate ac momento, et ad rem generales industriae.

SUMMAE RERUM. — 527. De aptae temporalis Paroeciae administrationis necessitate ac momento — 528. Tum pro privata ac personali, tum pro publica ac pastoralis Paroeci administratione prudentiales industriae — 529. De testamento a Pastore condendo, et ad rem normae.

527. — Fidelis et prudentis oeconomicae rei gestionis necessitas, quum de societate agimus per seipsam intelligitur. Intima, etenim, illa quae corporis cum animo necessitudo est, prout in singulis hominibus pulcherrimam ac validissimam animam vigere, elucescere, nec fortasse vivere in corpore deformi haud sano ac in necessariis quoque deficienti non sinit, ita quoque in hominum societate, spiritualem quamlibet utilitatem percipere, si congruis commodis ac sibi sufficienti facultate non fruatur, nec permittit. Quod si aperto constat de quocumque societatis genere, dummodo humanum sit, magis ac magis in ecclesiasticis apparet, quae,

quum bonum supra ipsas naturae vires positum spectent, prout maiorem longe difficultatem praeter caeteris in fine ipso prosequendo experiuntur, praecipua etiam media adiumenta que requirunt. Nam si huiusmodi media non habeantur quae omnem de terrenis rebus importunam sollicitudinem superfluum iam faciant, in his quaerendis [sine quibus nec vita, nec actio datur] magna earum virium pars erit collocanda, quae in finis prosecutionem impendi utilius potuisset; vel heroicam sane patientiam et abstinentiam, quam profecto ab hominibus exigere imprudens est res, postulabit. Quare, ut Episcopus quoad dioecesim, item Parochus quilibet quoad paroeciam in oeconomicae rei gestionem invigilare summopere debet, tamquam in partem regiminis semper necessariam, vel in conditionem sine qua non spiritualis boni incrementum assequi potest.

528. — Normae omnibus administrationibus communes, ac propterea a bono Pastore magni quidem facienda prae oculis habendae huc redeunt:

a) Pecuniam tamquam rationem medii, non quidem finis habentem consideret. — Igitur, nunquam ea quasi pastoralis muneris sui scopus ac propositum quaerenda, adhibenda, retinenda est, sed tantum ad opportunam finis adsequutionem. Devitanda, propterea quam maxime pecuniae sordida aviditas, immoderata parcitas quae avaritiam redolet, charitatem offendit, nec non tenax illa in debitis solutionibus faciendis procrastinatio, quae vix nummularios decet. Ad propositum ergo pastoralis regiminis finem adsequendum etiam pecunia libenter impendatur; quae, quidem, nullibi melius collocari poterit quam ubi [iuxta facultatis ac prudentiae limites] ad finis adsequutionem conducere potest. Media, enim, ad finem et ex fine.

b) Devitentur pariter tenacitas ac prodigalitas, sed iusta semper mediocritas teneatur, prouti beneficii vis obligationesque conmonstrant. Excessus quidem semper in iustae rationis detrimentum vergunt, nec minus qui nimis tenax, quam qui prodigus omnino est administrator nocet, qui et contra aequitatem, iustitiam et charitatem insimul agit. Quo vero ad mediam tutissimam viam inneundam, eam in concreto docent, ut diximus, tum ipsa beneficii vis quae peculiariter media postulat ut servetur et augeatur, tum quas Pastores habent facultates. Nam, quod beneficii bona has obligationes illaque media ultro adaequent, numquam ratio sufficiens esse potest cur ea male dissipentur, v. g. commoda sacerdotio minime congrua exquirendo et suppeditando. Ita si, his diebus nostris, largioribus Pastor opibus frueretur quam quibus refertur, is tamen eadem usque ratione ad modestiam sui status, profecto obligaretur.

c) Ne maius pondus suscipiatur quam quod humeri ferre valeant. Haec est practica norma cuiusvis rectae administrationis tum privatae, tum publicae, tum ex personae comodo, tum ex officii debito gerendae. Illa, enim, in omnibus moderatio quae prospera cuncta parere solet, in his, etiam, dominari oportet, ne ea neglecta, anxietates, aegritudines, ac gravia damna exoriantur. Quin, etiam, ut libentius minus quam quod ferri potest onus suscipiatur, prudentia iubet, ac ut intuitu futurae necessitatis detineamur a leviori illa prodigalitate, quam quidem omnes in praesenti gratam acceptamque habent, sed postquam illam expilaverint, libentissime derident vituperantque.

d) Nihil mutuo detur vel accipiatur, seu nec debita, nec creditae inaeantur, quae norma si cuique administrationi gerendae opportuna, multo magis paroeciali gestioni contingit. Aes alienum pastoralis regimini, dedecet ac nocet quam maxime; pecunia mutuo, ut plurimum, parvo cum fructu creditur, nec facile repeti potest. Si autem commodatum petitur [si res fieri potest] donare praestat; nam donatio semper amicum comparat, commodatum vero certius inimicum debitorem reddit, ut nihil dicam de eo quod Sapiens monet: *Si foeneraveris quasi perditum habe*¹. Ceterum locum pium vel Episcopum, ad solvenda debita eorum contra mentem a Pastore contracta, nullo modo teneri, pro certo Parochi sciant.

e) Si quae pecunia ad ecclesiam vel Pias causas pertinens collocanda sit, lex canonica omnino servetur, iuxta quam, ordinarie et per se, pecunia illa in tutis frugiferisque bonis stabilibus collocetur. Si vero horum bonorum immobilium acquisitio aut parum tuta sit, aut minus conveniens exstiterit, in publici debiti tabulis, aut securis hypothecis reponatur: qui valores, pro legum canonicarum effectibus, immobilibus bonis, aliqua saltem ratione, aequiparantur². — Numquam alea periculosa cuiusvis tandem generis tractanda, quae semper incertam ac precariam utilitatem, grave, e contra, detrimentum tum pecuniae, tum maxime sacerdotalis famae et honoris parere solet³. In pecunia, vero, investienda attendendum magis ad depositi securitatem quam ad usurarum copiam; nam quo maior haec, eo minor illa. Ad rem nuperrimae declarationes sic sonant:

I. Servatis de coetero servandis, tolerari potest ut pecuniam locorum piorum apud quoddam institutum nummarium occupetur. Conditiones vero sunt:

¹ *Eccles.*, VII, 13.

³ Cfr. indic. alphabetic. *Ecclesia*.

² Cfr. Concil. Americae Latin., n. 843, 855.

a) Personae ecclesasticae se abstineant a qualibet negotiatione pro dictarum obligationum, et praesertim ab omni contractu qui speciem habeat, ut vulgo dicitur, *giuochi di borsa*.

b) Administratores autem locrum piorum curent ut hi tituli in loco tuto caute custodiantur.

c) Ne commutentur in alios titulos absque gravi necessitate, et de consensu Ordinarii, eiusque et administratorum onerata conscientia.

d) Ne alienentur inconsulta S. Sede, quando ad eam recurrendi tempus suppetat¹.

f) Etiam minuti impensi ratio habeatur: nam huius cumulus in annum supra modum excrescit, atque, ubi rationis reddendae officium urget, iam nec opinatum pondus, haud semel importabile, efficit. Heic quoque, qui in modico infidelis est, in maiore quoque erit.

g) Obsistendum est cupiditati nova aedificandi, quae ad certam, ut plurimum, ruinam cito res adducit. Quod si ad huiusmodi aedificationes manus admovenda sit, curetur ut prius aliena coepta compleantur, ne quod unus condit, alter destruat; et si de novis Ecclesiis construendis agatur, nil nisi de Ordinarii venia statuatur. Sed de hoc alibi diximus².

h) Secreti custodia negotiorum veluti robur et nervum consistit; quamobrem religiose illud servetur, ne secus et opera omnis perdat et in prudentiam aut charitatem graviter offendatur.

i) Liberalitates cautissime decernantur, ac beneficium privatim alicui semper pro Paroeciae communi bono conferatur. — De prima huius normae parte iam diximus: de altera vero satis constat bonum commune prae privato bono semper praeferendum esse: quamobrem multa de facili uni tantum concedere non oportet, praesertim ubi timeatur ne ceteris satis prospici possit. — Ubi vero scandalum devitandum, recolatur pecuniam non nisi mediis ad finem rationem habere, ac propterea [debitis quidem cum cautelis] ut illud caveatur etsi cum aliquo pecuniae dispendii, oportere.

l) Peculiaribus in adjunctis, Pastor postulet ut sibi describantur potestatis suae administrativae limites, atque ubi extraordinaria ab eo requirantur, id sibi scripta fide confirmari exigat. Haec, si prima fronte veluti in eius muneris odium constituta videantur, tamen in eius maiorem usque utilitatem cedunt. Dominorum, enimvero, proprium est multa loqui, pauca autem reminisci, ad plurima impellere, in paucissimis vero adiumenta suppeditare; ut, igitur, cautelae opportunae adhibeantur, ut quisque a se male commissa ipse luat, prudentia suadet. Fidere bonum est, tamen diffidere melius: pacta clara, fideles amicos.

¹ S. Poenitent. 25 jan. 1888.

² Cfr. indic. alphabetic, *Ecclesia*.

m) Fortuito aut nesciens nihil agat, sed praeventivam rationem pro venturo quoque anno accurate conficiat. Id, enim, quisque cordatus vir in privatis negotiis praecavet; hinc neque a prudenti Pastore quoad propriam ac paroeciae administrationem negligendum est. In ratione huiusmodi autem describenda ut expensae graviores, accipienda vero minores praevideantur suadet prudentia; sed etiam, quoad eius fieri poterit, quaedam nec opinatis casibus [qui revera certi esse consuevere] summa in cautelam constituatur.

n) Praevidentia maxima opus est ac, interdum, suam oeconomicam gestionem Pastor revisat.

o) Praedia ac bona immobilia sollicito advigilet Pastor, prout eius muneris est.

p) Opportuno tempore summas debitas fideliter repetat ut et ipse sua fideliter solvere possit.

q) Statis quoque diebus debitas summas fideliter solvat.

r) Accepti expensique rationem fideliter etiam describat, itemque quidquid ad gestionem pertinet scriptis documentis confirmari satagat. Nec memoriae fidere satis est, quum exinde nihil contra tertium valide obfirmari possit. Ad rem haec parentur:

1) Regestum generale princeps ubi [sedula cura] rationem omnem accepti expensique adnotanda erit.

2) Regestum facultatum sibi concessarum, earumque usus, prouti et reddituum omnium: alterum vero ubi onera vel perpetua, vel constantia [ex g. quae legatis fundata fuerint] vel temporanea et adventitia. Et de hoc alibi.

3) Fides recepti per schedulas opportuna ratione dispositas et duplicatas.

s) Meminerint omnes rem, esse periculi plenam pecuniam, ac multo etiam magis aes contrectare alienum. Ut Chrysostomus monet, adeo *omne negotium inter ementes et vendentes conficit mendacium*¹, ut ubi circumspicissimae cautelae non adhibeantur, magnum adsit fraudis patiendae periculum. — Alia periculi ratio in eo est quod ubi qui pecuniam negotiantur sedula diligentia rei non consulant, facilis fit lissipationi, quum etiam et foedae praevaricationi, aditus: quibus non modo animi pax et unio cum Deo dissolvitur, sed et magna boni nominis iactura, deterrima Sanctuario macula, gravis coram Deo et hominibus culpa paratur. Quare *saecularia negotia aliquando ex compassione tole-*

¹ Homel. XI sup. *Genes*.

*randa sunt, numquam vero ex amore requirenda*¹. Enimvero, non potest mens simul intenta esse temporalibus negotiis disponendis et coelestibus contemplandis; dum, e contrario, anima absoluta negotiis in portu quiescit.

529. — De testamento condendo sollicitus Pastor sit, ne quae Ecclesiae pauperumque sunt bona, profanas in dexteris quoquomodo incidant, quae ad laicales usus, nullo negotio, sacrilege ea convertunt. Quapropter ut paullo post paroeciam adeptam testamentum Pastor conficiat ac tuto in loco reponat quam maxime suadendum. Quot, enim, malversationes, tricas, iniustitiae evitarentur si haec norma sedulius observaretur². Ad rem:

I. In testamento condendo, si iustitiae et caritatis ratio semper et ab omnibus habenda, eo religiosius a Pastoribus spectanda, quo magis hi qui in domo Dei versantur, affectu etiam terreno renuntiarunt, coeleste lucrum exquirentes². Fideles, igitur, sint Pastores usque ad mortem Ei qui potens est servare depositum nostrum in die tremendi iudicii.

II. Cuncta quae fidelium pietas Deo dicavit, vel ad sacri ministerii necessitates honeste sublevandas ordinavit, eo donantur caractere ut in alium quam sacrum et pium convertere usum nefas sit. Ne, igitur, potiusquam in ruinam ac laqueum, ad salutem beneficia proficiant, ut non solum dum vivunt huic obligationi cum pietate satisfaciant, sed etiam bona Ecclesiae debita a reliquo peculio provide separent, et in ultimae voluntatis declaratione pro Ecclesiae Dei utilitate in pios convertantur usus, Pastores haud negligant. Sacrorum depositorum vero pecunia, potiusquam apud semetipsos retinere, dioecesanæ Curiae committere [ut complurimae iubent Synodi] prudentius erit.

III. Ut aliis pauperibus, consanguineos vere pauperes Pastores praeferant, a causa pia nequaquam alienum est. Sed liberalitas illa quae carni et sanguini adeo inservit ut etiam in imminente Dei iudicio, patrimonium pauperum et Christi peculium consanguineis ditandis impendere non vereatur, semper ac omnimode reprobanda detestandaque est.

IV. De reliquis autem bonis quae sub patrimonialium, industrialium et parsimonialium nomine veniunt, beneficialibus solum exceptis, libere ac pro arbitrio disponendi facultatem Pastores habent. Vocationi, tamen, suae attendentes, qui in clerum recepti, Dominum partem hereditatis et calicis sui constituere, ut etiam hanc substantiam in aedifica-

¹ S. Gregor. Magn. *Regul. Pastor. Par.* II, Cap. 7.

² Cfr. *Concil. Prov. Pragensis*, Cap. IV; *Concil. Baltimor.* III, n. 277.

tionem Corporis Christi convertere satagant, impense adhortandi sunt. Semper vero ne aliquid Pastori adversae famae, offensioni ac scandalosam praebere possit, quam maxime cavendum.

V. Ceterum, meminerint Pastores, primam ipsorum gloriam hanc esse: pauperes quidem at aere alieno haud oberatos mortalium concedere sorti. Nam ipsorum divitiae tam male audiunt ut vix plebis scandalum, aut fabula non sint: Paroeciae vero solvenda debita relinquere, iniquum prorsus reputabitur.

§ II. De Ecclesiae Fabrica eiusque Consiliariis.

SUMMAE RERUM. — 530. Huius institutionis indoles. — 531. De huius consilii constitutione. — 532. Prudentiales ac pastorales in re normae recoluntur.

530. — Quidquid sit de huius Ecclesiae Fabricae primaeva origine, eius constitutio, cuius summa tota in eo est ut ecclesiasticorum bonorum curam laici gerant, genuinae canonum adversari menti certum est; horum, enim, bonorum administrationem Ecclesiae ex integro spectare, quae, igitur, Fabricam tolerare, potiusquam adprobare, nemo qui statuslatriae placitis haud inservit ambigere potest¹. Attamen complurimis in locis consuetudinario, alibi vero concordatario iure, hoc consilium in paroeciarum administratione invectum est, ex quo, dummodo rite constituatur ac, eo magis, apte regatur ac invigiletur, quaedam pastorali ministerio odiosa, ex ipso adimi possunt. Enimvero reddituum exactiones ac curae, ad publica tribunalia renitentium convocatio, lites ac ita porro, in sacerdotalis ministerio adiumentum haud profecto cedunt.

531. De huius consilii constitutione, quum tum a consuetudine, tum a concordatis plura de facto [quae immutari prorsus nequeunt] edicantur, pauca, hypothetica tantum libertatis ratione, indigitari possunt, quae ita, breviter, perstringimus².

a) Ubi huius Fabricae consuetudo haud invaluerit, nisi Ordinarius aliquid in re decernere censuerit, nullo modo invehenda est. Quaedam, enim, quae ab ea habentur utilitates, canonum vulnus minime compensant; et, quidquid sit, de re statuere non Parochi, sed Episcopi tantum est.

b) Ubi Fabricarum harum positiva consuetudo invaluerit, in quantum civiles sinunt leges, curandum est:

I) ut huius consilii praeses Parochus ipse sit;

¹ Cfr. Berengo, *Op. cit.*, n. 234.

² Pro Italia, cfr. Calchi Novati, lib. II, tit. III, cap. I.

II) Si vero hos eligere consiliarios, vel eorum nomina publicae Potestati praesentare Parocho spectet, ut probi et, ecclesiasticis obsequentes legibus tantum viri, hi, nimirum, qui in omnibus Pastori parendo eius adiutores non vero adversarii sint, eligantur vel praesententur, numquam satis, utpote conscientiae officium, suaderi potest. Interdum, enim, hac in re adeo peculiaribus ac minimi momenti rationibus inservitur, ut complurimas difficultates Parochi ipsi sibi omnino comparent.

c) Ad plura gravissima praecavenda incommoda quae in ecclesiasticorum bonorum pessumditionem ex publicae Potestatis, vel privatorum hominum parte verterent, haec attendantur:

I) Sive mobilium, sive immobilium bonorum omnium quorum administratio penes Fabricam est, accuratum inventarium, tam apte confectum ut non ex assertionibus tantum, sed et ex documentis omnia apte dignoscat, apud se habeat Parochus, ac sedulo disquirat.

II) Quidquid pecuniae a Fabrica Parochus recipiat, in regestum tali ratione confectum, ut ex una parte singulae nummorum summulae a se receptae et in capsam depositae, et a Parocho et a Fabricae thesaurario subscribantur, ex altera vero parte nummorum summae inde extractae et aedituo traditae ut in pia officia erogentur, cum Parochi et sacristae subscriptione adnotentur. Fidere quidem bonum, diffidere melius.

III) Dum Parochus tantam adhibet diligentiam ut, ex parte sua, maiores quam quae Fabricae introitus exsuperent in Ecclesia haud habeantur expensae, ut ex Fabricae consiliariorum parte idem praestetur non minorem curam impendet.

IV) In redditibus exigendis ac, eo magis, in renitentibus apud civilia tribunalia cogendis, nullo modo nullaque ratione directe se ingerat Parochus, sed haec omnia [pastorali ministerio quam maxime odiosa ac invisae] Fabricae curatoribus dimittat, quos, ex canonica domo, indirecte reget ac consilio donabit.

V) Generale Fabricae regestum, quotannis Curiae revisioni subiiciendum, diligenter conficiatur, et si quorundam legatorum solutio a consiliariis nimis procrastinetur, una alterave admonitione praemissa, rem totam Episcopo Pastor deferat, a quo peculiare ac opportunas instructiones accipiet.

532. — Quamvis quae cum Fabricae consiliariis Pastoris agendi ratio esse possit haud difficile ex dictis liquet, attamen:

a) Personarum ac locorum circumstantias sedulo perpendat Parochus, et ne candide nimis, ut plurimum, cum ipsis omnibus agat.

Quum, enim, de pecunia quaestio heic sit, praecautiones omnes quibus versutissimae artes ad nihilum redigantur, vel saltem facilius devitentur, adhibendae sunt.

b) In quantum circumstantiae sinunt, ne uni alterive ex consiliariis sui beneficii praedia conducenda committat, et nullam cum omnibus cuiuscumque generis agendi rationem ineat qua sua ipsius libertas in discrimine adduci possit, quod, uti patet, et in Ecclesiae detrimentum verteret.

c) In rebus ad Ecclesiam tantum spectantibus [ut sunt functiones statuendae easque peragendi ratio, altarium adornatio, candelarum numerus ac usus et similia] ne Fabricae consilarii ullo modo ullaque ratione sese ingerere audeant, comiter quidem, sed non perfunctorie invigilabit Pastor, qui unicus horum omnium custos ac dominus est. E contrario, ut, iuxta Fabricae facultates, divino cultui nil deficiat [ut diximus] diligenter Parochus studebit. Horum, enim, interdum consiliariorum arbitraria agendi ratio ea est ut, dum in quibusdam congruentibus [sed eorum ingenio consentaneis] nullo negotio abundant, in necessariis vero aliis [sed ipsis minus placentibus] adeo mussitant ut ad illa comparanda et plura obstacula, omnino indebite, ponere audeant.

d) In quantum sacra sinunt iura, dissensiones, disputationes ac, eo magis, lites cum Fabricae consiliariis devitabit Pastor bonus, qui ut maiora [necessaria nimirum] assequatur, minora [congruentia scilicet] ipsis dimittet. In disputabilibus vero, comiter semper ac omni personali contentione seclusa cum ipsis se habebit, et, in maioris momenti rebus, Episcopo quoque consulto, ad suam sententiam eos pertrahere contendet. Quod si nil profecerit, eam ipsis inculcare ac, si necessitas urgeat, et eorum quoque conscientiae debitum ipsis recolere ne omittat. Quum, enim, [ut saepius monuimus] de Ecclesiae sacrosanctis agatur iuribus, pro omnimoda eorum incolumitate, prudenter quidem at strenue decertare boni Pastoris est; defendere, enim, matrem, bonus filius numquam desinit.

e) Ceterum quae in re a dioecesana [ut plurimum] decernuntur Synodo, in omnibus ad praxim deducat Pastor, qui, heic quoque, ut obedientiae Episcopo debitae studeat, numquam satius suaderi potest.